



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CXLVII. Argumentum. Proponitur: Quid sit Ambitio? Quantum perniciosa? Quæ remedia adversus illam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

enonere, 32. quest. 2. Quia privata autoritate id non licet absque mortali peccato. Molina tract. 3. disp. 7. Lessius de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 9. dub. 5. Layman. lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 2. num. 4. Et si maritus esset excusandus a peccato, si ex nimio dolore incontinenti occideret, ac etiam ab excommunicatione, si adulter esset clericus occisus. cap. 3. de Sent. excomm. Eminentijs. Cardin. de Luca in Miscell. Eccles. discurs. 20. num. 4.

Ex quibus omnibus Parochi prædicare volentes contra hoc maximum Adulterii crimen, amplissima poterunt defumere argumenta, ac etiam ex cit. Paulo Segneri in Christ. instruct. part. 3. serm. 26. per totum.

20 Quoad Ultimum. Remedia hæc sunt. Primum, ut ipsi mariti fidem non frangant uxoribus; illæ enim sæpe sæpius in vindictam adulterantium maritorum adulterantur. Sic Ovidius lib. 2. de Arte amandi:

Hoc bene compositos, & firmos rumpis amores,

Crimina sunt cauti ista timenda viris.

Clytemnestra uxor Agamemnonis Regis, cum cognovisset ipsum irretitum amoribus Chrysis, Briseida, & Cassandræ filia Priami, amplexa est adulterum. Ovidius d. lib. 2.

Dum fuit Arides una contentus, & illa

Castra fuit, vitio est improba facta viri.

Unde Aristoteles in Oeconom. cap. 4. ait: Primum leges sint viro ad uxorem, ut injuria cesset; sic enim nec ipse injuriam patietur. Remedium Secundum est,

non permittere uxoribus, ut ad quoscunque saltus, ludos, seu concursus accedant. Ne des aqua tua exitum, nec modicum, nec mulieri nequam veniam prodeundi: ait Ecclesiast. 25. 38. Reperiuntur enim mariti ita fatui, ut nimiam libertatem concedentes uxoribus, causent earum errores;

& hos viros vocat Gynæocratomenos, Plinius lib. 6. cap. 13. id est, subiectos mulieribus; quia, Nunquam oportet, virum sapientem mulieri remittere frangum, neque sinere, ut libere imperet, docebat Euripides apud Stobæum serm. 72. Et Ecclesiast. 9.

2. Non des mulieri potestatem anima tua, ne ingreditur in virtute tua, & non confundaris. Remedium Tertium; quod Mariti diligant uxores, bene tractent, necessaria ad victum, & vestitum, & familiæ conservationem subministrent; nam eorum asperitas, seu in cauponis, ludis, aut conver-

22 sationibus dissolutio tentat uxores ad malum, ut turpe lucrum, pro egestate sublevanda, obtrineant. Deus ex costa Adami produxit Hevam, non ex capite, aut ex pedibus. Genes. 2. 22. ut ei esset socius, non imperans, neque sub pedibus conculcetur. I. Adversus. C. de crim. expil. hæredit.

Quare Apostolus scribens ad Ephes. 5. 25. ita ait: Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, &c. Ita & viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit; nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam.

Utinam tot Epulones hanc obligationem caperent, & exequerentur. Oh! si Parochi exclamarent adversus illos, & quasi Tuba exaltarent vocem suam, & annuntiarent iisdem scelera ipsorum! Remedium Quartum, & ultimum; Mariti, & Uxores Deum timeant; scientes, quod sicut

Adulterium Nefas est, & iniquitas maxima. Job. 31. 11. ita Adulteros iudicabit Deus. Hebr. 13. 4. Et non solum puniet eos, & ante mortem, & post

mortem, sed etiam exterminabit eorum familias. Filii adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Sap. 3. 16. Addatur exemplum Uxoris cujusdam Mariti cum alia moechantis, quæ in forniciis vidit in inferno ardentes fornaces plenas hominibus adulteris complicatis cum Draconibus, qui in eos picem, & plumbum ignitum evomebant; unamque fornacem vacuum aspexit, quæ parata erat viro suo, quem ipsa monuit, & reduxit ad poenitentiam; ut ex Chronicis S. Dominici refert Paul. Segneri in Christ. instruct. d. part. 3. discurs. 26. num. 20. Huic addendum aliud exemplum, quod narrat P. Carolus Rosignolus Soc. Jesu part. 2. Meravigl. 28. de quodam Marito Deum timente, qui cognito adulterio Uxoris suæ voluit vindictam à Deo expectare: cumque quadam die federet cum Uxore apud fontem aquæ frigida, manifestavit ei suspicionem suam incontinentiæ ejus. Uxor coepit jurare, se esse innocentem. Tunc Maritus ad illam. Ergo pone manum, & brachium in hanc frigidam aquam, & saxum ex ea trahe. Statim sic Uxor fecit: & ecce pellis, & caro brachii consumpta cecidit, ac si aqua servide ebulliret. Tunc Maritus ab eo divertit, hortatus illam, ut ageret de suo Adulterio poenitentiam.

DECISIO CXLVII.

ARGUMENTUM.

Proponitur: Quid sit Ambitio? Quantum perniciofa? Quæ remedia adversus illam?

SUMMARIUM.

1. Ambitio quid sit? & unde dicta?
2. Candidati cur vocentur, qui sunt promovendi ad dignitatem?
3. Ambitionis natura mala.
4. Ambitio homicidia parat.
5. Ambitio filii Caesaris, & Agrippina.
6. Ambitiosi odio habent etiam consanguineos.
7. Aulicorum propria est ambitio.
8. Monasteria non sunt immania ab Ambitionis vitio.
9. Exempla Religiosorum ob ambitionem expulso- rum à Monasteriis.
10. Clerici Seculares ambitionis causa lapsi in hæresim.
11. Senatus Apostolicus astu ambitionis agitatus.
12. Adam, & Eva ab ambitione percussus.
13. Luciferum ambitio precipitavit à Cælo.
14. Remedia tria contra Ambitionem.
15. Moderatio facit beatam vitam.
16. Bulla Pontificia contra ambientes Ecclesiasticas dignitates.

Quoad Primum Dixere, Ambitionem esse inordinatum appetitum honoris terreni, & amplitudinis Dignitatis. S. Thomas 2. 2. quest. 131. art. 2. Et Ambitio dicitur ab Ambio, id est Circumdo, quia Romani affectantes Magistratus circuibant, rogantes tum populum, tum Senatores, ut se suffragiis adjuvarent, & sic circumdabant istum, & illum; prout servatur Venetiis in Platea Sancti Marci inter Nobiles, cum quis petit aliquam Dignitatem, & ut vulgo dicitur, fa broglio. Petr. Gregor. Tholosan. Synagm. Jur. Univ. part. 3. lib. 26. cap. 29. num. 5. ubi observat, quod qui ambiebant dignitatem in Republica Romana, dum faciebant circuitionem ad Patricios, & ad Plebem,

2. huius, cui ius electionis erat in Comitibus Magistratum, pro suffragiis habendis, induerent vestem candidam in signum innocentiae: unde processit, quod promovendus ad aliquem honorem vocetur Candidatus.

3. Quoad secundum: Quantum perniciofa sit Ambitio, colligitur ex Verbis S. Bernardi in *Serm. Quadring.* sic loquens: *Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, tinea Sanctitatis, excacatrix cordium, ex remediis morbos creans, ex medicina languorem generans.* Et eundem Ambitio est Virus, & Pestis inficiens corda hominum, domos, & privatas familias, Palatia Principum, Regularium Monasteria, Clericalem coetum, Senatum Apostolicum, Terrestris Paradisum, & Coelum Empyreum. Quod probatur: Nam.

4. Primo Ambitio inficit corda hominum, qui ut suam honoris, & praeminentiae libidinem expleant, nec offendere amicos curant, nec de propria vita cogitant. Cicer. in *Lalio*. *Pestis major esse nulla in amicitia potest, quam in quibusdam honoris certamen, & gloria; ex quo inimicitia maxima saepe inter amicissimos extiterunt.* Hinc Aman, ut Machabaeum sibi non obsequentem obtruncaret, Ahafvero Regi maximam obtulit pecuniae quantitatem. *Decerne, ut pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis Gazae tuae. Esther. 5.* Quae talenta, si erant Attica, faciebant quinque milliones: si vero Hebraica, decem milliones aureorum, secundum Cornelium a Lapide, quem allegat P. Menochius in *Oeconomico*, lib. 4. cap. 5. num. 2. ubi refert dictum Iulii Caesaris Dictatoris, deinde primi Imperatoris Romani, qui aliquando hospitatus in parva Villa, ait: *Mallem hic primus esse, quam Roma secundus.* Et Agrippina mater Neronis, cum audivisset ab Astrologo, puerum regnaturum, sed occisurum Matrem, respondit: *Occidat, dum regnet.* Ita Suetonius.

5. Secundo inficit domos, & privatas familias, adeo ut Filii ambitiosi insurgant in Parentes, Frater, & soror in fratrem. Ita fecerunt Maria, & Aaron ambientes superare Moysen in prophetando, quos murmurantes adversus fratrem Deus iratus correxit, & Mariam lepra percussit. Num. 12. Et ob idem Ambitionis vitium, quod infecerat Dathan, & Abiron, *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis. Num. 16. 32.* Rex David coactus fuit Regiam domum deserere, fugere, & se in montem abscondere a furore Absaloni filii sui, ambientis Regnum, ut legitur. 2. Reg. 15. Adonias quoque alter filius David, & Absaloni frater, fecit sibi currus, & equites, nam *elevabatur dicens: Ego regnabo.* 3. Reg. 1. 5. Et relictis plurimis antiquorum exemplis, plane mirandum, ac deffendum est illud, quod nostris oculis videmus, Piussum Jacobi Secundi Regis Angliae, quem ambitiosa proles depulit regno.

6. Tertiò: Palatia Principum tam Ecclesiastico-rum, quam Secularium hac pestilentia esse plena, nemo dubitabit, qui legerit Senecam lib. 3. de *ira* cap. 31. *Aulicorum, ambitionis virus, in corde habentium, hos referentem sermones.* Diis quoque irascimur, quod aliquis nos antecedit, obliti quantum sequatur a tergo ingentis invidia. *Dedit mihi Praetura, sed Consulatum speraveram, Dedit duodecim fasces, sed non fecit ordinarium Consulem. A me numerari voluit annus, sed deest mihi ad Sacerdotium. Cooptatus in collegium sum; sed cur in annum? Con-*

summavit dignitatem meam, sed patrimonio nihil contulit. Ea dedit mihi, quae debebat alicui dare, de suo nihil protulit. Ita priscis temporibus loquebantur ambitiosi aulam Principis sequentes; non minores sunt in praesenti eorundem lamentationes, falsitates, invidiae, & iniquitates. Satis nos experientia docuit, verissimum esse Axioma Pii Papae Secundi, videlicet, quod sicut omnia flumina intrant in mare, sic omnia vitia ingrediuntur Aulas Principum. Menochius in *Oeconomico*, lib. 4. cap. 5. num. 3.

7. Quarto: Regularium Monasteria, & Conventus ab hac lue non praeservantur. Testatur Bonifacius Papa Octavus, qui sic loquitur in *cap. Quorundam*, 24. de *Elect.* in 6. *Quorundam oculos sic vitium ambitionis excacat, quod quasi sua Professionis immemores &c. solum Praelatura conscendere moliantur.* Religionum Chronicae sunt exemplis foecundae. Hic duo annotabo. Frater Justinus Ungarus ordinis S. Francisci donum orationis, & Estasis obtinebat tempore S. Joannis a Capistrano, adeo ut Romae, in Conventu Araceli, in Refectorio, audiens lectionem elevatus in spiritu, raperetur in aera cum stupore, & veneratione Fratrum. Id intellexit Papa Eugenius Quartus, illumque vocavit ad se, benigne tractavit, gratis donavit, quibus ambitiosus factus, ceteros spernere fratres coepit; unde S. Joannes ei dixit: *ivisti sanctus ad Papam, reversus es daemonium ad fratres.* Paulo post aufugit a Conventu, ambitione pellente, ferit cultello focium, carceratus obiit infelicitate. Ita in *vita S. Joannis a Capistrano*, hisce diebus in album Sanctorum per Alexandrum Papam Octavum relati pag. 101. & 102. P. Antonius Vaz, Societatis Jesu in Insulis Molucchiis multa millia hominum ad fidem convertit, Regemque *del Moro*, sacro latice meruit lavare, & Ecclesiae unire. Mox ambitionis peste ipse Antonius tactus, cupiens aliis Missionariis, & Patribus, etsi paucis, praesse, falsis literis confectis P. Alfonso de Castro Rectorem domus expulit, Lusitanorum Ducis laicam protectionem invocavit, pro suae ambitionis fomento; quae omnia ad Superiores Societatis delata, expulsi ejusdem Antonii a Religione, tanquam pestilentis hominis, causam dederunt; ut scribit Daniel Bartoli in *Asia Hist.* lib. 6. pag. 383. En ambitionis perniciēs.

8. Quinto: Clericalem coetum hac pestis semper invadit, praecipue in expetendis dignitatibus, beneficiis, & Praelaturis, & ex ea plurimi in ruinam, cum Ecclesiae Universalis laesione maxima devenerunt. Origenem, Tertullianum, Osium ab Ambitione prostratos probat Menochius in *Storeis part. 6. cap. 8. pag. 19.* Arius ambitionis aestu agitato, cum Ecclesiasticam Praelaturam non potuisset obtinere, Filii Dei divinitatem tanto cum Ecclesiae Catholicae detrimento coepit impugnare; unde recte dicta est *Ambitio furoris causa* a S. Bernardo *epist. 126.*

9. Sexto: Senatus Apostolicus non fuit ab hac pestilentia immunis, pluries enim Apostoli leguntur ambitione agitati; nam *Intravit cogitatio in eos, quis eorum major esset? Luc. 9.* Unde Christus Dominus, *Cum domi essent, interrogabat eos, quid in via tractabatis? At illi tacebant, siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset? Marc. 9.* Consimilis fuit ambitio filiorum Zebedae, quorum mater, eorum nomine, ait ad Salvatorem; *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram*

dexteram tuam, & manus ad sinistram in Regno tuo. *Matth. 20. 21.* Et tandem in ultima cena discipulos, Apostolosque omnes hic morbus corripuit; siquidem *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Luc. 22. 24.* Quare eos sanaturus Redemptor subjunxit: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, beneficii vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, sicut minor, & qui praecessor est, sicut ministrator.*

Septimo: Intravit hæc pestifera ambitio in terrestrem Paradisum; quando Adam, & Eva a serpente decepti, propter promissum illud: *Eritis sicut Dii. Genes. 3. 5.* dominari, & Deo non amplius subesse appetentes, mortem spirituales, per privationem originalis iustitiæ, ac etiam corporalem, quas & nos experimur, incurrerunt. Unde S. Bern. exclamavit: *Non Evam cibus deflexerat; non mandatorum destituerat oblitio: sed promissi honoris Ambitio illecebrosa decepit. Polyanthea Verb. Ambitio col. 2.*

Octavo: Et Cælum Empyreum ingressa (si ibi ante casum morabantur Angeli) quorum tertiam partem infirmavit, & eorum Principem terruit, suadente eorum ambitione, ne Humanitatem ipsis revelatam Redemptoris Nostri, sibi paterentur superiorem, ut docet Suarez lib. 7. de Angel. cap. 18. num. 13. ex S. Cyprian. tract. de Zelo, & livore, ac ex S. Bernardo serm. 1. de Adventu, qui propterea subdit; *Potestatis ambitio Angelum felicitate Angelica privavit: ratio est, quia Ambitiosus designatur alium sibi parem; & nos diximus supra Decis. 136. num. 9.*

Quoad Tertium. Tria notantur Remedia. I. Quod Ambitio impediat assecutionem veri honoris, salvationis scilicet animarum, & adeptionis Regni Cœlestis, juxta illud: *Quod hominibus alium est, abominatio est apud Deum. Luc. 16. 15.* II. Quod Ambitiosa vita sit miserrima ob incessantem animi, & corporis inquietudinem; unde Alciatus Emblem. 87. scripsit:

*Vana Palatinos, quos educat Aula Clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.*

III. Quod omnia incerta, & vana sint in hac vita, quare dulcius, & suavius est, moderatis affectibus virtuti incumbere, & suo statu contentari; ut fuse, sed docte suadet Seneca epist. 74. relatus à Menochio in *Oeconomic. lib. 4. cap. 5. num. 1. & 2.* quod brevius, sed efficacius docuit Apostolus ad Galat. 3. *Non efficiamur inanis gloria cupid.* Videantur Canones, & Bullæ Apostolicæ, quæ censuras, & pœnas infligunt contra ambientes Papatum, sive gratias Pontificias, sive Prælaturas, & dignitatem tam in Regularibus, quam Secularibus electionibus; nec non beneficiis Ecclesiasticis, relatæ à Thesaur. de Panis *Eccles. part. 2. Verb. Ambitus.*

DECISIO CXLVIII.

ARGUMENTUM.

Declarantur mala, quæ proveniunt ex amatoris conversationibus adolescentum diversi sexus. Et quibus remediis occurrendum sit illis?

SUMMARIUM.

1. Amatoria conversationes filiorum nocivæ eorum genitoribus.
2. Adolescentes amore capti videntur insani.
3. Exemplum triplicis homicidii ex amatoria conversatione.

4. S. Dominicus puella interfecta audit confessionem.

5. Peccata, quæ committuntur in amatoris conversationibus.

6. Matris crudelitas erga duos filios.

7. Remedia contra amatorias conversationes: Prædicatio Parochorum.

8. Pauli Segneri sermones duo de nequitia amoris conversationis.

Dixere: Tria mala evenire. Unum contra Genitores. Alterum contra ipsos Adolescentes. Tertium contra legem Divinam.

Primum malum est contra Genitores; siquidem filii, & filiae, qui iisdem obediebant, & erant obsequentes, si capiantur reciproco amore in conversationibus amatoris diversi sexus, evadunt inobedientes, audaces, temerarii; ut experientia docet. Filii, qui cœpit amare puellam, semper progreditur ad illam diem, noctuque; si est artifex, deserit ministerium, laborem, operationem. Tempus infumit apud domum, & apud fenestram puellæ, ut eam videat, illam alloquatur, & quantumvis ejus Genitores reprehendant, minentur, avocent, nihil de paternis præceptis curat; immemor omnino illius sententiæ, *Honora Patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris; memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis quomodo & illi tibi. Eccl. 7. 29.* Pariter puellæ, quæ laboribus suis vacabant, matribus erant obediens, vix capta occasione conversandi cum aliquo Juvene amasio, volitant frequenter ad eum invisendum, alloquendum, & cum eo conversandum, pro nihilo habentes maternas reprehensiones; unde incurrunt pœnas à Deo comminatas in illis verbis. *Quam mala fama est, qui derelinquit Patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat Matrem. Eccles. 3. 18.* Adantur detractiones, quæ proveniunt inter genitores Amasii contra puellam, & illos puellæ contra personam, & familiam Amasii, ut ad invicem ostendant eos odibiles; narrantes occultos defectus, peccata, crimina, si quæ unquam interfuerint inter utramque familiam; & ex his ad reciprocam notitiam delatis, insurgunt odia, dissensiones, & inimicitia, ut quotidie in hac Diocesi experimur, & ipsi Parochi testantur.

Secundum malum est contra ipsos Adolescentes, qui ob conversationes amatorias adeo exardescunt amore, ut videantur insanire, & furere, nam *Furore amoris nihil est vehementius. Aut. Quib. mod. Natur. efficit, legit, S. Novimus.* Hinc se exponunt ad omnia pericula tum corporis, tum animæ; & quia frequenter dantur rivalis, & socii ejusdem conversationis, facillime deveniunt ad odia, & ad arma, quibus invicem se aggrediuntur, feriunt, & occidunt; & ecce animarum, corporum, & familiarum excidium. Exemplum sit puella illa, nomine Alexandra, in regno Arragoniæ, cujus causa duo Juvenes eam amantes ad duellum invicem provocati, invicem se occiderunt, quorum parentes, agitati dolore, concurrentes ad domum Alexandræ, ipsam interfecerunt; capite ejus obruncato, & in puteum projecto. At quia devota erat Deiparæ, ejusque Rosarii, meruit hanc gratiam, ut ad puteum accurrens S. Dominicus, jussu Deiparæ, ejus confessionem audiret, & absolveret, ac in Purgatorium, locum salutis, anima illa deducta fuerit. Segneri in Christ. Instruct. p. 3. serm. 27. num. 14.